

versali Catholicorum fide in aliquem doctrinae articulum, majoris momenti, in praxi onerosum aut creditu difficilem, jam constat *positive* hunc non potuisse fraudulenter, temporum decursu, introduci.

*Negative* idem demonstratur, eo quod adversarii clara et certa praetensae innovationis vestigia non valeant ostendere.

Etenim, supponere non licet omnes orbis catholici ecclesias, uno et eodem instanti ac quasi ex conducto, priorem deseruisse fidem, ut in eundem errorem convenirent; unde factum esset ut tali tempore et tali loco error pervulgari coeperit, mox alias invaserit regiones, dein grassatus fuerit in pluribus, et tandem universa completa fuerit apostasia. Jam vero, quomodo erroris hoc modo propagati historiam nullus texere susceperit; nullus indicare ejus auctores, tempus, circumstantias, progressus; nullus enarrare quibus mediis, machinationibus, fallaciis, conatibus, deceptionis venenum propinatum fuerit; quaenam ecclesiae seductae sint primae, quaenam e contra diutius ac firmius in antiqua fide perstiterint?

Illud eo magis videtur incredibile, quod talis deceptio ingentes suscitare debuisset reclamaciones. Reclamassent pastores fidei deposito cum tanto studio vigilantes; nec tacuissent tot doctores, tot religiosi, tot sacerdotes, quos omni aetate videmus pro tuenda veritate tam strenue decertantes. Imo, quot fideles simplices resistere non omisissent! Nonne etiam insurrexissent minus devoti, cum ageretur de dogmate passionibus oneroso et creditu difficili?

Confirmatur historia omnium haereseon, quae vehementibus occasionem dederunt tempestatibus, po-

pulorum annalibus prolixè memoratis. Omnes norunt quam celebres commotiones, simplex quaestio de die celebrandi Pascha, in universo suscitaverit orbe. Quanto majores et celebriores suscitare debuisset, v. g. introductio dogmatis de reali praesentia, aut de praecepto divino confessionis! Deficientibus ergo certis et claris vestigiis innovationem doctrinae probantibus, necessarium est concludere, dogma aliquod magni momenti et difficile creditu, ab universa Ecclesia aliquando pro certo admissum, venire ab Apostolis.

## DISSERTATIO TERTIA

DE RATIONE NATURALI, UT EST LOCUS THEOLOGICUS  
SECUNDARIUS

(Vide Mazella : *De virt. inf. n. 1011...1085.*)

50. In duplici quaestione breviter dicendum erit :  
1° de recto rationis usu; 2° de ejusdem abusu in sacrae theologiae studio.

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Qualis esse possit aut debeat rationis naturalis  
usus in sacra theologia?

51. Resp. Dico 1°. *Ratio naturalis ad doctrinam fidei stabiliendam utilis et necessaria est.*

1° Antequam doctrina fidei stabiliatur, necesse ut demonstrentur et explanentur principia religionis

naturalis, quae sunt veluti fidei praeambula, v. g. Dei existentia atque summa Veracitas. Atqui id sola ratio naturalis praestare potest, antequam constet de facto revelationis; si enim tunc ex revelatione sumeretur argumentum, adesset petitio principii.

2° Semel constitutis fidei praeambulis, et ante fidei actum, necesse est ut factum ipsum revelationis demonstraretur, secus, fides nostra non esset rationabilis. Atqui hoc est officium naturalis rationis, ut patet.

3° Posita et probata semel revelatione christiana, necesse est Christiano scire hanc non existere extra Ecclesiam, et varia illius dogmata ex Ecclesiae magisterio esse accipienda. Atqui talis cognitio oritur ex ratiociniis naturalibus, quae fundantur libris Novi Testamenti, prout auctoritate historica gaudentibus, et multis insuper factis solo testimonio humano comprobandis.

4° Etiam cognita Ecclesiae auctoritate infallibili, ratio naturalis suas et ipsa habet partes in singulorum dogmatum probatione. Ad hanc siquidem probationem, necesse est prius percipere ac intelligere, apprehensive saltem, quid sit illud quod asseritur et proponitur; et insuper legitimum instituere discursum, quo constet tale dogma pertinere ad revelationem christianam, seu, ab Ecclesia teneri et doceri. Atqui rationis naturalis est tradere praedictum conceptum, saltem apprehensivum, varios Scripturae aut Traditionis textus perpendere, aut Ecclesiae perscrutari definitiones, necnon judicare de legitimitate discursus, quo ex praedictis fontibus dogma stabilitur.

52. Dico 2°: *Ratio naturalis veritates fidei explanat, evolvit et ordinat.*

1° *Explanat* quidem, illas intimius investigando, variis comparationibus ex rerum naturalium ordine haustis illustrando, necnon pluribus congruentiis magis ac magis credibiles efficiendo.

2° *Evolvit* etiam, latentes quae in eis sunt conclusiones eruendo, ad quod melius praestandum adjuvatur plurimum, insuper, veritatum naturalium scientia, ac praesertim principiis philosophicis, aliisque etiam revelatis veritatibus bene intellectis.

3° Demum *ordinat* easdem veritates. Quamvis enim fidei dogmata mirabilem inter se et cum ultimo hominis fine nexum habeant, non tamen revelata sunt cum illa coordinatione. Expedi itaque ut hanc, per naturalis rationis studium, inquiramus, perspiciamus, et indicemus; sicut variorum entium mundi physici relationes et harmoniam, considerando et ratiocinando, deprehendimus et manifestamus. Quae coordinatio in doctrina revelata, complectens simul et dogmata et conclusiones ab eis deductas, completum, eximium ac sublime exhibet aedificium, quod mentis rapit admirationem, et voluntatem ad obsequium suaviter sollicitat.

53. Dico 3°: *Rationis naturalis usus necessarius est, ad doctrinam Catholicam, adversus impugnantes, vindicandam.*

Illud est evidentissimum: 1° quia necessarius est ille usus ad doctrinam stabiliendam. Atqui ejusdem est doctrinam contra impugnantes vindicare, cujus est hanc nondum credentibus demonstrare. 2° Quia religionis catholicae impugnatores arma sua mutuuntur a naturalibus disciplinis, videlicet: a philosophia, historia, scientiisque physicis. Porro nemo sic pugnantibus

satis efficaciter resistere poterit, nisi et ipse iisdem armis bene uti sciat.

QUAESTIO II<sup>a</sup>

Qualis rationis naturalis abusus in sacra theologia reprobandus sit?

54. Resp. Hic quaestio non erit de illo abusu, consistente in eo quod rationis naturalis jura sic ultra modum extolluntur, ut ratio constituatur omnis veritatis norma ac iudex; est enim error Rationalismi et Naturalismi jam supra satis confutatus. Sed est duplex alius excessus reprobandus: 1<sup>us</sup> eorum, qui dicunt fidei mysteria, per rationem rite excultam, naturalibus principiis intelligi ac demonstrari posse; 2<sup>us</sup> eorum, qui affirmant, dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando, secundum progressum scientiae, sensum tribuendum esse alium ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia. — Unde.

55. Dico 1<sup>o</sup>: *Religionis mysteria per rationem naturalem, quantumvis excultam, intelligi et demonstrari non possunt.*

1<sup>o</sup> De fide est; quia, Conc. Vatic. sic definivit: « Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam, et naturalibus principiis, intelligi et demonstrari; anathema sit. » (Const. *Dei Filius*, § 4 de Fide et Ratione, can. 1.)

2<sup>o</sup> Pius IX, in Syllabo, sequentem damnavit propositionem: « Omnia indiscriminatim dogmata sunt objectum naturalis scientiae, seu, philosophiae; et

« humana ratio historice tantum exculta, potest ex suis naturalibus viribus et principiis, ad veram de omnibus etiam reconditionibus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint » (prop. IX). Quem errorem idem Pius IX, in suis Litteris Apostolicis: *Gravissimas inter acerbitates*, ad archiepiscopum Monacensem, 11 Dec. 1862, ex professo confutat.

3<sup>o</sup> Nostra conclusio aperte sequitur ex supra dictis in tractatu *de Religione*, circa mysteria. Nisi enim darentur veritates, quarum intrinseca possibilitas a nobis nequaquam attingi potest, jam sequeretur nos naturaliter posse essentiam divinam comprehendere; quia tunc ea, secundum omnes et gradus et modos quibus est imitabilis ad extra, a nobis attingibilis foret.

56. Dico 2<sup>o</sup>. *Dogmatibus revelatis nunquam tribuendus est sensus diversus ab eo quem intellexit et intelligit Ecclesia.*

1<sup>o</sup> Ita Conc. Vatic. (Sess. III, Constit. *Dei Filius*, cap. 4) dicens: « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, veluti philosophicum inventum proposita est, humanis ingeniis perficienda; sed, tanquam divinum depositum, Christi sponsae tradita fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, ulterius intelligentiae specie et nomine, recedendum. »

2<sup>o</sup> Ratio conclusionis patet. Sensus enim deserendus non potest esse verus; quia veritas semper eundem sensum retinet. Ergo, si sensus, quem Ecclesia dogmatibus revelatis semel tribuit, deserendus est, sequi-

tur eam in dogmatibus definiendis et intelligendis errasse, quod ejus infallibilitatem evertit.

Ergo quantumlibet proficiat intellectus in dogmatum cognitione, nihil in iis mutare, nihil addere, nihil auferre liceat, et merito Conc. Vatic., loco citato, sic concludit : « Crescat igitur et multum vehementerque « proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius « hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia ; sed « in suo dumtaxat genere, in eodem, scilicet, dogmate, eodem sensu, eademque sententia. » Quae verba a S. Vincentio Lirinensi mutuata sunt.

AD MAJOREM DEI GLORIAM ET DEI GENITRICIS HONOREM.

## INDEX

### DE ECCLESIA

#### PARS SECUNDA

##### *De constitutione Ecclesiae Romanae.*

#### DISSERTATIO PRIMA

##### DE PARTIBUS QUIBUS EX DIVINO JURE ECCLESIA ROMANA CONSTITUITUR.

|   | PAGINAE |
|---|---------|
| QUAESTIO 1 <sup>a</sup> — An et quatenus Ecclesia Romana constituitur ex corpore et anima inter se junctis? .....       | 2       |
| QUAESTIO 2 <sup>a</sup> — Quinam inter membra corporis Ecclesiae computentur? .....                                     | 5       |
| QUAESTIO 3 <sup>a</sup> — Quomodo a Catholicis intelligatur inaequalitas inter varia corporis Ecclesiae membra? .....   | 9       |
| QUAESTIO 4 <sup>a</sup> — Quomodo membrorum Ecclesiae inaequalitas ab heterodoxis intelligatur? .....                   | 14      |
| QUAESTIO 5 <sup>a</sup> — Utrum ecclesiastica potestas resideat penes communitatem fidelium? .....                      | 21      |
| QUAESTIO 6 <sup>a</sup> — Utrum principes temporales, qua tales, habeant, jure divino, potestatem ecclesiasticam? ..... | 29      |